

BERNARDINI
GOMESII MIEDIS

ARCHIDIACONI SAGVNTI-

NI, CANONICI QVE VALENTINI,

Commentariorum de SALE libri quattuor.

AD PHILIPPVM. II. HISPANIARVM,

ATQVE INDIARVM REGEM

CATHOLICVM.



VALENTIAE,

Ex Typographia Petri à Huete.

M. D. LXXII.

Cum Regio priuilegio in decennium,

de la Comp. de Jhs de sala

PHILIPPO HISPANIA-
RVM, ATQVE INDIARVM REGI
CATHOLICO

BERNARDINVS GOMESIVS

MIEDES ARCHIDIACONVS

SAGUNTINVS S.



SI plurimis iam antea de causis, hos de Sale
commentarios, omni quidem studio ad publicam
utilitatem elaboratos, Maiestati tuae, Philippe Rex
inuietissime, dicere statueram: eò tamen libentius
in proposito, susceptoque consilio mihi permanen-
dum putavi; quòd ob similitudinem, quae Sali cum
Regibus intercedit, tu solus inter omnes prestanti-
simus quidam mundi Sal esse videaris. Nam ut Sal vi sua, & facultate
solet, animalium terrestrium & marinarum carnes, non modò gustui
quam optime condire, verum aromatibus ab Indicis usque oris expor-
tatis admixtus, humanas etiam perpetuò ferè à putredine vindicare: sic
tu profectò, iustitia, & aequitate què (has enim acrimonia & suauitate Sal
representat) cuncta tuo subiecta Imperio perfundis. Etenim nò solum
populos perquam multos Europe, atque Insularum Oceani, marisque
nostri, felicissime gubernas: sed innumerabiles quidem alterius tanquàm
orbis terrarum prouincias, tam longo à te licèt interuallo disiunctas,
& exquisitè moderaris, & in officio contines; & dum sacro religionis
Sale iniiciendas curas, ad immortalitatem conseruas. Hoc enim à
te, parentibus, proavisquè tuis illuc asportato, atque persperso Sale,
quam multas, quamquè miserabiles impietatis sectas radicitus euulsi-
stis. Quot infelicissimarum animarum myriadas ab execrabili humani

A sangu

BERNARDINI GOME

fii Miedis Archidiaconi Saguntini

COMMENTARIORVM DE

SAL E,

LIBER PRIMVS.



ETROPHILVS. Gaudeo, mi Quintana, te saluum ac incolumem è cubiculo tandè exire: timebam enim, & quidem vehemèter; ne tibi quidquam humanitùs accidisset, qui mihi tandiu clamitanti, foresq; penè effringenti nunquam responderis. Vnde factum est obsecro, vt somnus arctior solito te fuerit hac proxima nocte cõplexus? *QUINTANA.* Doleo profectò, mi

Metrophile, te molestiam vllam mea causa cõpisse, cui semper iucundus, ac gratus esse vellem: verùm vt intelligas difficile fuisse mihi è tanto somno excitari, scito me hesterno die apud munificum Ludouicum Turrensẽ, clericum, vt vocant, Cameralẽ, cœna exceptum fuisse lautissimam assidentibus nobilissimis quibusdam Hispanis, nuper ex Britania urbem ingressis. Quibus varia, scituque dignissima enarrantibus, & de felici Philippi Hispaniarum Principis in insulam aduẽtu, & de inclito eius cum Maria Regina connubio, atque etiã de instaurata ibi à Reginaldo Polo Cardinale, veteri religione, in tam multam nocte productus fuit sermo, & à cœna vigilia, vt non sit tibi quidem mirandum quòd tam ferò, sed quòd tam citò, somno fuerim solutus. Sed tu cur ad

me quæso, tam bene mane venisti? non enim dubito, quin grauissimis causis adductus, me prima ferè luce conueniendum putaris. *METRO.* Magnæ adeò sunt, vt eas differre nõ potuerim: & tam multæ, vt verear ne totus hie dies his explicandis satis sit futurus. *QUINTANA.* Expone ipsas amabò, audiam enim libentissimè. *METRO.* Facies vt te decet, & soles, atque ego desidero. Quòd vt cõmodius fiat, in tuam bibliothecam omni librorum genere refertam concedamus: ibique assidentes quietius, omnibusque arbitris remotis, faciliùs de rebus ad tuam digni-

atatem